

1447 rorio in hybernis esse, a quo studio & favore acceptus, & a Mediolanensibus non multo post mille & quingentorum equitum stipendio auctoratus: interim, dum Placentia a Sforcia obsideretur, in Rainaldum Dresnensem, qui sub Philippi exitum cum ingenti Gallorum manu a Carolo Rege in Italiam missus fuerat, prospere depugnavit. Recepérant Galli Astam urbem a Vicecomite ex fœdere, quod cum eo non multo ante quam vita deceſſisset, in Venetos Rex ipſe percuſſerat. Philippo vero defuncto, Galli non Astam ſolum, ſed Alexandrini quoque agri partem ſibi armis vindicarant. Eos itaque Boscum oppidum obsidione prementes Collio cum Aſture Faventino adortus, prælio vicit ingenti, ac vičtos caſtris exuit. Multi ex barbaris in acie cæſi, multi quoque capti, in quos Alexandrini ipsorum exemplum ſecuti, ferro ſavie- runt. Collio hujusmodi vičtoria insignis, cum mille & quingentis equitibus non multo poſt ad Venetos tranſiit.

1448 Exierat jam propemodum vernum anni tempus, quum Sforcia ex hybernis egressus Mozanicam adortus, oppidanos ſubito ad deditio[n]em compulit. Inde Abduanam terram tumultuose ingressus, præter Caravagium, omnia ejus terræ loca brevi ſubegit: ademit Veneto & Cassianum, quo ſe præſidium ex Melcio dejectum receperat. Atten- dulus & ipſe cum ſuis copiis ad Calcem ultra Ollium confederat, atque his locis ſine re ulla memorabili utro- rumque caſtra aliquandiu fuere. Demum profectus inde Sforcia, in Venetam classem, quæ Cremonenses fines ve- xabat, terra & aquis movit. Omnes Quirini conatus eo ſpectabant, ut pontem quem Sforcia Placentina oppugna- tione circa Cremonam Pado imponendum curarat, refrin- geret. Gravia circa illum certamina fuere, nec ab illius oppugnatione prius Venetus deſtitit, quam ſenſit hostem adeffe. Habebat Sforcia galeones ſex ac viginti: atque eos ipſos neque armis, neque milite magnopere instru- ctos; ſub ejus adventum Venetus ad Cafale majus com- pulsus est. Hic terra & aquis ab hoſte loci iniquitate cir-

cum-

*Veneta clas-  
ſis ad Caf-  
ſale majus  
incenditur.*